2638. 1

Nobilissimo atq́ Clarissimo Viro-Iuveni
Gottlibio Sigisfrido Bayer, Philosoph. atq́ bonar. Art. Magistro
Amico suo certissimo, suavissimo
Michael Schreiber, S. Theol. D.
S. D. P.

1662+1717

Non infimulabis me neglecti officii, quod ad literas tuas, superiori anno ad me datas
nihil huc usq́ respondi. Quamvis enim nihil magnopere esset, quod scriberem; osten-
dendum tamen erat me adhuc colere virtutes singularesq́ animi tui dotes: testari quoq́ opor-
tuit, quid voluptatis ac gaudii ceperim, cum in gratia magnorum Virorum te versari, resq́
tuas prospero fortunæ tramite decurrere, acciperem. Enimvero obstitit morbus gravissimus,
quo per integrum spatium semestrale detentus fui, ita ut officii mei partes non explere
imo ne quidem pedem extra domum ponere potuerim. Nosti quid malum illud, præcipuè
si diuturnum fuerit, afferat, quod præter alia, quæ secum vehit incommoda, non corpus mo-
do, sed ipsum quoq́ animum afficit, et ad sua obeunda munia, ineptum quodammodo, minus
certè alacrem reddit. Nunc, ubi prosperante Deo, ex isto pelago caput attollere incipio,
neglectum hactenus scribendi officium reassumo, Tibiq́ de honoribus Magisterialibus, rite,
ut audio, jam obtentis animitus gratulor, Deum serio precatus, ut honorem hunc fortunare
eumq́ in Reip. salutem, propriumq́ decus vergere jubeat, addo: in ipsius honoris incrementum.
Quod enim de Epaminonda scriptum est, Teliarchiam aut magnam dignitatem atq́ majestatem e-
vexisse; idem Tibi faciendum nunc, nemo melius suaserit, quam tu ipse ad omne virtutum
pulcherrimum incitamentum. Cæterum pro benevola voluntate tua nuper significata de-
sideriis meis gratificandi, debitas exsolvo grates, ac quandoquidem eandem tam prolixè inter-
pretatus es, ut beneficium te accipere agnoscas, quoties bene de me merendi occasio suppetit,
accipe, qua ratione, Lipsiæ rebus meis velificari possis. Dedi hac ipsa posta, ad Typographum Sche-
de literas, iisdemq́ catalogum variarum Disp. quas ipse huc mittendas pararit, inserui. Tu,
Amicorum integerrime, postula ut Catalogus exhibeatur Tibi, et ut non aliæ, quam quas consigna-
vi, Disputationes transmittantur, provide: urgebis verò etiam meo nomine, ut 5. alphabeta
Disp. in illis, quas transmisit huc Schedius, adhuc desiderata, ab illo suppleantur. Pro 93. alpha-
betis solutio ipsi facta est, sed 88. tantum Fasciculo fuerunt inclusa. Tenetur ergo illa addi-
dere, vel alio mihi satisfacere modo. Simulac ea q hinc veniunt Schedio Disputationes jam à me de-
sideratas, Renunciato statim, ut alphabetarum numerum, ac pretium pro illo sol-
vendum. Ratione solutionis certiorem facere potero: quod illa statim hic sit futura, ubi Disp.
huc fuerint allatæ. Quarum numerum sicubi aliquot Scriptis adaugere poteris; mihi rem
facies gratissimam. Vale Amicorum optime ac favere perge. Dab. è museo meo d. 22. April. 1717.

M. Vogel Consiliar. Aul. Senator, Syndicus, Hebr. et [illegible] [illegible] [illegible] Doctores, [illegible]

M. Pauli, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

112. 1v

Viro-Juveni

Nobiliſsimo atq́ Clariſsimo,

Domino Gottliebio Sigiſfrido

Bayer,

Philoſ. Magiſtro longé digniſ-

ſimo

Amico meo ſinceré dilecto

Franc. per Rẽgi[?] Dr: Excell: Convict. Tit. Hn Profeſs. Crellio Zürnfragen.

Lipſiæ.